

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

Ph.D. Level Medieval Latin Examination

17 April 1996

Translate **ALL** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. Supposed superstitions of the Jews (Agobard of Lyons)

Dicunt denique Deum suum esse corporeum et corporeis liniamentis per membra distinctum, et alia quidem parte illum audire ut nos, alia uidere, alia uero loqui uel aliud quid agere; ac per hoc humanum corpus ad imaginem Dei factum, excepto quod ille digitos manuum habeat inflexibiles ac rigentes, utpote qui nil manibus operetur; sedere autem more terreni alicuius regis in solio, quod a III^{or} circumferatur bestiis, et magno quamuis palatio contineri; cogitare etiam illum multa superflua et uana, que, quia ad effectum cuncta uenire nequeant, uertantur in demones. Sed et innumera infanda de deo, ut diximus, suo praedicant, ac tale colunt simulachrum, quod ipsi sibi in cordium suorum stultitia finxerunt et statuerunt, non uerum, inconuertibilem atque incommutabilem Deum, quem penitus ignorant.

Litteras quoque alfabeti sui credunt existere sempiternas, et ante mundi principium impetrasse diuersa ministeria, quibus eas oporteat in saeculo praesidere, legem uero Mosaycam multis annorum curriculis ante mundum fuisse scriptam.

2. Plans for the widowed Matilda (William of Malmesbury)

Anno Henrici regis Anglorum uicesimo sexto, qui fuit incarnationis Dominice millesimus centesimus uicesimus sextus, Henricus imperator Alemannorum, cui prefati regis filia Matildis nupserat, in ipso etatis et uictoriarum flore obiit. Morabatur eo tempore rex noster Normannie, ob pacificandos si qui in his partibus fierent motus; qui, ubi primum obitum generi accepit, non multo post honoratis uiris a se missis filiam reuocauit. Inuita, ut aiunt, imperatrix rediit, quod dotalibus regionibus consueta esset, et multas ibidem possessiones haberet. Constat certe aliquos Lotharingorum et Longobardorum principes succedentibus annis plus quam semel Angliam uenisse, ut eam sibi dominam requirerent; ueruntamen fructu laborum caruisse, cogitante rege ut filie conubio inter se et Andegauensem comitem pacem componeret. Mirum enim in modum uir ille, omnium regum quos nostra et etiam patrum nostrorum tenet memoria maximus, suspectam tamen semper habuit Andegauensium potentiam. Hinc est quod sponsalitia que Willelmus nepos suus, comes postea Flandrie, cum filia comitis Andegauensis Fulconis, postea regis Ierosolimorum, contracturus esse uidebatur, dissoluit et cassauit.

3. Satan's attacks on Cluny (Peter the Venerable)

Vt enim supra tetigi antiquus hostis non parum illius cenobii disciplinam ac diuinorum operum studium semper emulatus est, multisque indiciis inuidiam suam erga loci ipsius habitatores feruere monstrauit. Que si per singula ut ad me peruenire potuerunt enarrare temptarem, et magno uolumine legentibus forte uel audientibus tedium incuterem, et ipse longe a proposito deuiarem. Quis enim explicare ualeat, quanta improbitate celestia illa castra semper uel sepe inuaserit, quam infestus semper Christi militibus sibi repugnantibus fuerit, quam frequentes impetus uiolenter inrumpere uolens dederit? More quippe suo interiorem ciuem id est Spiritum extinguere querens, quas poterat temptamentorum machinas exterius admouebat, et ab intimis se repulsum dolens, quanta ualebat extra prelia commouebat. Vnde proprio furore cecatus, cum semper inuisibiliter omnibus instaret, aliquando quibusdam etiam uisibiliter apparebat. Et nesciens quid boni de malo suo Deus facere decreuisset, unde gregem Domini destruere querebat, inde inuitus eum multociens edificabat.

4. Pope Gregory IX lists charges against Frederick II...

Primum quod arma Christiane militie, gladii potestatem de altari beati Petri sumpti, ad vindictam malefactorum laudemque bonorum sibi a Christo per suum vicarium assignati, quo pacem Christi, fidem ecclesie, defenderet et muniret, soldano Babilonie, inimico fidei, adversario Iesu Christi, cultori perditum Machometi, impudentissime resignavit, denuntians ei ut de ipso faceret quicquid vellet, et affirmans se nolle arma de cetero assumere contra ipsum, quem ut impugnatorem fidei fideliter impugnaret, acceperat imperialis culminis dignitatem. Per quod patenter arguitur, quod dignitati imperii eiusque spontaneus renuntiavit honori, cum, executionem gladii contra hostes fidei pacto execrabili et inaudita presumptione remittens, potestatis et dignitatis sue se spoliavit officio, causa se privatum insinuans, cuius effectu promisit et iuravit se de cetero cariturum; privilegium enim meruit dignitatis ammittere, qui concessa sibi abusus est potestate.